

# 1 'Tertulliani' Carmen de Iudicio Domini

---

CARMEN AD FLAVIUM FELICEM  
DE RESURRECTIONE MORTUORUM ET DE  
IUDICIO DOMINI.

---

Qui mihi ruricolae optavi carmine musas  
et vernis roseas titulavi floribus auras  
aestivasque graves maturavi messis aristas,  
5 succidi tumidas autumnis vilibus uvas  
et hiemis placidas laudavi semper olivas  
atque modulatas exclusi fontibus undas  
frondentisque vago cecini de gramine silvas,  
protinus aetherias modulabor luminis oras:  
10 iam mihi luciferas liceat contingere musas,  
pandere secretas fluviali vertice nymphas  
et laetas alio positas sub sidere silvas;  
aeternasque simul memorabor carmine flammam,  
unde mare tumidas inmensum fluctuet undas,  
15 quae virtus moveat solidas tremescere terras,  
et lux unde novo praefulserit aurea mundo,  
quis hominem laeto potuisset fingere limo,  
unde genus vacuo potuisset crescere saeculo,  
et varia populo quae sit vivendi cupido,  
20 quae creata malo primum moriendi propago,  
unde bonus roseis odorque ruborque coronis,  
quid faciat laetis ut vitis aestuet uvis,  
utque nova teneris lactescant hordea culmis,  
arbor ut in glacie nigris pubescat olivis,  
25 germinibus variis quis det crementa viroris  
mollibus et matrem filiorum protegat umbris.  
omnia nosse bonum quae sint incepta ramorum,  
ut per cuncta Deum liceat agnoscere verum,  
qui lucem maria caelum terramque paravit  
30 ornavitque novum variato sidere mundum  
et pecudes primum volucres procedere iussit  
et dedit aequoreas conpleri piscibus undas  
atque fecundatas animalibus egit harenas.  
talia compositis deducam carmina musis  
35 salubremque nobis exponam fontibus undam  
et laetum placidis venientem nubibus imbrem,  
in animas hominum penitus utroque fluentem  
excipiam plenis in nostra novalia rivis.  
nunc age securam vivamque adtingite nympham  
40 et celeres vitae facilem haurite liquorem,  
si qui vellit poenas aeternae evadere flammae  
ignarusque die venturique inscius aevi,  
et iustae potius adipisci praemia vitae:  
45 hunc unum meminisse Deum solumque precandum  
qui totum in libra posuit sub limine mundum,  
aeternumque manens semperque futurus in aevum,  
saecula cuncta tenens et ante saecula solus,  
ingenitus sine fine Deus, thronumque divinum  
49 solus habens caelos semper supereminet altos,  
51 omnipotens solus cui parent omnia rerum,  
qui sibi conplacitum hominem formavit in aevum,

pastorem pecudum, dominum dedit esse ferarum,  
 55 iusque dedit volucrum, pontumque solum dominandum,  
 qui sermone tenuis potuit extendere caelum  
 et solidam verbo iussit suspendere terram  
 ac dicto citius separavit aequoris undam,  
 hanc manibus caram dilexit fingere formam  
 64 decoramque suam voluit inesse figuram,  
 65 spiritu vivificam adflavit vultibus auram.  
 66 quanta Deus homini permisit munera mundi  
 61 et praedulce sui signavit pignus amoris,  
 62 utilia et cara tribuit mandata salutis,  
 63 nec ultra monitum quicquam contingeret: unum,  
 67 unde malum sciret et unde dinosceret aequum  
 protinus, illicitum vetuit contingere pomum.  
 sub ditione dedit terras animamque viventem,  
 70 pinnatumque genus, pecudes, genus omne ferarum  
 et genus aequoreum, animalia cuncta natantum.  
 sed quoniam primo transgressus crimine legem  
 iamiam primus homo Domini mandata mutabat,  
 74 coniuge cuncta mala suadente morte peribat.  
 60 nam peccati malum commisit femina primum  
 75 proditaque suum decepit lege maritum.  
 inmemor ille Dei temere committere tanta.  
 Eva persuasa male patefecit limina leto  
 et sibi cum genere creavit funera lato.  
 hinc (nefas!) incautum mors emanavit in aevum.  
 80 inde magis facinus facile percrebruit altum  
 acriorque labor agitavit saevius annum.  
 callidus hoc zelo serpens iniecit iniquo.  
 inde magis populi multa commissa malorum  
 et nefanda malis pepererunt semina factis.  
 85 idcircoque Deus solus cui summa potestas  
 et super alta tenens summa fastigia caeli,  
 altus inaccessam habitans in saecula lucem  
 praeteritique memor et praescius ante futuri,  
 progeniem meriti decretum servat in aevum,  
 90 et cunctas animas quae corpora tarda gubernant  
 et ratione movent hominem vagante per artus,  
 ut primum posito membrorum pondere cedunt  
 terrenisque leves resolutae nexibus ibunt  
 ac proprias repetent diversis partibus oras,  
 95 illicit occultis alias includi tenebris,  
 ast alias laetis revocari protinus auris,  
 servari penitus decreta ad praemia legis,  
 donec iterum mortis resurgant corpora membris:  
 nunc homines primae pensare fenora vitae  
 100 iudicesque Dei memores adstare priorum,  
 expectare suam suo quemque ex crimine poenam.  
 funditus aut pecorum sine nomine pendere statu  
 incassumve Dei finiendo fundere fletum.  
 an Deus omnipotens cuius sub nutu reguntur  
 105 omnia, non valeat post mortem reddere vitam,  
 aut aliquid rerum Dominum non posse videtur?  
 si potuit tenebris claram excludere lucem  
 atque omnem verbo potuit componere molem,  
 omnia de nihilo potente voce parare,  
 110 cur non ex aliquo possit conpingere notam,  
 quae fuerat quondam, quae vixerat ante, figuram,  
 similemque suae iubeat resurgere formam?

cum sint cuncta Dei, reddit magis omnia tellus,  
 iussa revocabit quidquid contexerat olim.  
 115 si quem forte rogis abolevit flamma sopitum,  
 aut aliquem caecis deiecerat aequor in undis,  
 si cuiusque famem satiarunt viscera piscis,  
 aut fixere ferae crudelia funera membris,  
 alitibus iacuit raptato corpore sanguis,  
 120 ultima nec Domino negabunt funera quemquam,  
 adparere Deo vivos de morte necesse est  
 resumptisque suis homines adstare figuris.  
     semina sic versis creduntur arida terris  
 et penitus fixis putrescunt mortua sulcis,  
 125 inde reparatis animatur culmus aristas  
 et iterum vivis flavescunt fortia granis  
 consurguntque novae vario cum fenore messes.  
 sidera cuncta cadunt, iterum renata lucescunt,  
 et dies in densa moritur cum lumine nocte,  
 130 occidit inque diem nox rebus luce relectis  
 ac dies alta suis iterum resurgit in astris;  
 solque cadit supero referturque lumine claro,  
 lux perit umbrato venienti vespere mundo  
 et remeat toto renovatque gaudia saeclo.  
 135 sic cremata suo vivit de funere foenix  
 extemploque suo volucris resurgit e busto,  
 et nudata foliis suo tempore fructicat arbor  
 atque iterum pomi curvat ex germine ramos.  
     ergo ut ad vocem mundo tremente divinam  
 140 et penitus motis virtutibus aeris alti,  
 tunc fragor insolitus et maxima murmura caeli  
 promovente Deo, veniente iudice mundi.  
 protinus innumeri concurrunt ire ministri,  
 convallantque Deum cum maiestate caelesti.  
 145 angelica late descendunt agmina terris,  
 omnes nuntii Dei, quibus est divina facultas  
 praecipua et forma, virtutis spiritus omnes.  
 igneus his vigor est, rutilantia corpora caeli,  
 vis divina micat: hinc totus murmurat orbis,  
 150 hinc trepidans terra penitus universa remugit  
 parturiens homines quos reddere iussa debebit.  
 mirantur comites, turbantur denique nimbi,  
 astra mirata pavent subito virtutis ab alto.  
     hinc iubente Deo facile cum voce potenti  
 155 continuo ruptis per omnia regna sepulcris  
 omnis humus latis effundit hiatibus ossa  
 viventisque patens populos eructat harena.  
 haerent membra comis, nectuntur ossa medullis,  
 consertique regunt spirantia corpora nervi  
 160 et simul infusae moventur sanguine venae  
 dimissaeque cavis animae redduntur apertis  
 organaque sua repetunt surgentia cunclae.  
 pro miranda fides! hinc omnis pullulat aetas,  
 pullulat antiqua mortuorum pulvere turba.  
 165 matres atque viri repetita luce resurgunt,  
 magnanimi iuvenes, pueri innuptaeque puellae  
 defunctique senes animis viventibus adstant  
 infantumque gemens resonat vagitibus orbis,  
 con variae gentes veniunt de sedibus imis,  
 170 Eoumque manus et quas videt ultima tellus,  
 quae colunt medias devexo in climate zonas

Rifeasque tenent pruinosi sideris arces.  
 omnis adest pavidus finis cuiusque colonus,  
 rusticus et miles, posito diademate reges,  
 175 pauperi permixtus aequali in agmine dives.  
 altus ubique tremor, precibus nunc ingemit orbis,  
 tendentesque manus populi clamore mirantur.  
     ipse sedens Dominus eminenti lumine clarus  
 et praepotens cunctis micat in virtutibus ignis,  
 180 excelsoque throno caelesti sede coruscat  
 martyribus septus, numero candente virorum,  
 beatisque suis comitatus vatibus extat,  
 clara quibus niveis effulgent tempora taenis.  
 iamque sacerdotes nitidis in vestibus adsunt  
 185 gestantes rutilas praemia vitae coronas  
 submissique omnes genibusque reflexis adorant.  
 'solus agius sanctusque Deus' vox omnibus una est.  
 hinc Dominus geminam iubebit sistere plebem,  
 imperat et iustos numero discerni malorum,  
 190 indutosque iubet devicta morte vigorem  
 semper inextinctam habere luminis auram,  
 ire per antiqua semper florentia regna,  
 ditia per nemora, semper amoena virecta,  
 degere perpetuam praeclaro in corpore vitam.  
 195 est locus Eois Domino dilectus in oris  
 lux ubi clara nitet spiratque salubrior aura,  
 aeternaque dies atque inmutabile tempus  
 et secreta Deo regio ditissima campis  
 beataque nimis sereno in cardine sedes.  
 200 semper aer laetus semperque in luce futurus  
 lenis et adspirans vitalia flamina ventus.  
 omnia fert aequa solo prodivite tellus.  
 florea libratis conflagrat purpura pratis,  
 omnia praerutilam miscent non invida lucem,  
 205 flos alium laetus suo lumine vestit amictum.  
 hinc rosea niveo variantur semine rura  
 et roseis nivea crispantur floribus arva.  
 nescias illa quibus suavescent pulchrius arva  
 aut quibus aetheria spiret felicius aura,  
 210 quis melior specie vel plus praecellat honore.  
 nunquam florigeris similes nascuntur in hortis,  
 lilia nec nostris floruerunt talia campis,  
 nec sic nostra rubent, mox ut rosa panditur, arva,  
 purpura nec Tyrio sic est incocta rubore.  
 215 gemma coloratis fulget speciosa lapillis,  
 prasinus inde nitet, illinc carbunculus ardet,  
 zmaragdusque lapis micantia lumina fundit.  
 hic et odoriferis nascuntur cinnama virgis  
 et viridi laetum folio conflagrat amomum.  
 220 hic iacet ingenitum radiati luminis aurum  
 et nemora alta lenens florenti vertice caelum  
 virentisque gravant uberrima germina ramos.  
 nulla suos similes porrexit India lucos,  
 non ita densa levat viridis cacumina pinus,  
 225 nec sic alta comas crispat vibrata cupressus,  
 nec vernus melius floret cum tempore ramus.  
 hic aliter celsae florent in vertice nigrae  
 aeternumque virent solae sine grandine silvae.  
 nulla cadunt folia, nullus flos tempore defit,  
 230 robore compacto viret et purpurat arbor.

sed puto, flos ille rosa est, rubor aequus in illo,  
 sic species, talem foliis adspirat odorem.  
 stat cum flore novis arbor pulcherrima pomis  
 vitalemque frugem felicia robora densant.  
 235 mella viridatis conflagrant pingua ramis,  
 lac etiam plenis manat potabile rivis.  
 vitam spirat ibi quidquid pia terra virescit  
 beatoque simul quidquid de germine floret,  
 atque solum pulchrae redolet medicabile Cretae.  
 240 fons illic placidus perfundit agmine campos,  
 quattuor inde rigant partita flumina terras.  
 ver, puto, semper agit vestitus floribus aether.  
 non frigus variat hiberni sideris auras,  
 nec radiata micat pressis caloribus aestas.  
 245 caelum luce sua serena temperat auras  
 et reficit fetam meliore flamine terram.  
 nox ibi nulla, sua defendunt astra tenebras.  
 iraeque insidiaeque absunt et dira cupido,  
 exclususque metus, pulsaeque a limite curae.  
 250 hinc malus extremis relegatur exul in oris,  
 beatosque labor vetitus contingere fines.  
 illic prisca fides electa in sede quiescit.  
 iustitia gaudens aeterno in foedere vivit  
 et secura salus placidis laetatur in auris  
 255 semper victura semperque in luce futura.  
 hic quicumque pius aequi bonique colonus,  
 quique Deum metuit innoxia mente tonantem  
 atque suos coluit sacra pietate parentes  
 et coluit sanctam semper sine crimine vitam  
 260 aut inopem quotiens opibus solatus amicis  
 atque laborantes nimium subvenit egenos,  
 pauperis adiutor, solitus salvare pupillos,  
 eruit et nocitos, subvenit crimine pressis,  
 hospitibus carae tribuit sua pignera mensae,  
 265 omnia divinis gessit sua munera iussis,  
 non aliquem nocuit, non aliena cupivit,  
 illi exultantes divinis laudibus omnes  
 orantesque simul referunt ad sidera voces;  
 psallentes Domino celebrant per gaudia grates  
 270 bealamque viam nuntiis comitantibus ibunt.  
 postquam haec Dominus felicia dona peregit  
 et iustos pariter aeterna in regna remisit,  
 et miseranda venit lugens sua crimina turba.  
 fit gemitus, maerent lacrimis argentibus omnes  
 275 testanturque sua crebris ululatibus acta.  
 flammae pro meritis instantia tela tremescunt.  
 angeli conripiunt iamiam prohibentque precari  
 et prohibent seras paenitentiae fundere voces,  
 iamque precum venia flamma veniente negatur.  
 280 o miseri, quotiens vobis divina potestas  
 innotuit, quotiens maiestas cognita veri!  
 audistis sonitus, vidistis fulgora caeli,  
 adsidue pluvias, ventorum et grandinis iras  
 experti, quotiens noctesque diesque serenos!  
 285 tempora fecundabant Dei munera donis:  
 ver abundabat rosas, frugibus nec defuit aestas,  
 autumnus varia praebebat mitia poma,  
 semper hiems laetas glacialis fregit olivas.  
 cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit ulla,

290 nec per tanta Deum genus omne scivit humanum.  
 terra Deum tremuit, pontus Dei nutu pependit  
 et fluvius siccis trepidus refluxit harenis,  
 et genitura Deum per omnia laeta fatetur.  
     vos tamen hunc Dominum caeli terraeque negastis  
 295 et iustos potius crudeli caede necastis  
 praeconesque Dei plerique saepe fugastis.  
 veritas in vobis pro crimine semper inhaesit.  
 et ideo fructum capietis sementis, iniqui!  
 noscitis ecce diem quem vos ridere soletis.  
 300 ibitis in tenebras ignis et sulphuris altas  
 ardendo saevas passuri doloribus iras.  
 hos aeternae iubet Dominus discedere poenae,  
 ire sub ardore semper sine fine gehennae,  
 urgueri molem per stagna torrentia flammae.  
 305 in flammis converti iubet elementa minantis  
 atque omnem caeli descendere nubibus ignem.  
     tunc avidus rapidos excludit tartarus ignis  
 atque procellosas ructuabunt aequora flammis,  
 totaque viventis confundit terra favillis,  
 310 flammeus et sulcos aer vibrabit iratos  
 atque omnibus facibus torrens armabitur orbis  
 impetu tartareo freudent incendia mundo.  
 illi praecipitem pulsi tolluntur in aestum,  
 hinc fugiunt, illinc cursu referuntur acuto.  
 315 obvia fit saeva flammae fugientibus ira,  
 agnoscuntque suam iamiam de crimine poenam.  
 iamque vaga nullo tellus possessa colono  
 et maris extremis pressa sub fine profundo,  
 qua sol emenso radios definit Olympo  
 320 orta transacto conduntur sidera mundo.  
 gliscit aer densis abstrusa luce tenebris,  
 ultima secretis stagna flammantia rivis.  
 est natura loci signatis ignea poenis,  
 et palus infernis candens ardoribus ima  
 325 intonat; horrificis fertur poenale caminis,  
 aestuat et rapido turbatus vertice flammis  
 in tormenta ruens fluctuanti gurgite flumen.  
 torrida se cuncta caeno miscetur harena.  
 huc captiva gemens mittetur turba malorum  
 330 arsurumque (nefas!) scelerati corporis agmen.  
 magnus plangor ibi fletu sociante clamorem  
 et stridor rabidus; ululatus inde dolentum  
 exsurget de flamma procul altusque sonoras  
 ignis et ardentis gemilus consurgit in auras.  
 335 tunc humana mali pendet commissa propago,  
 incipientque preces ad caelum tendere seras  
 atque Deum nunc nosse volunt quem nosse nolebant.  
 illic quisque suae fatebitur effera vitae  
 nocentesque manus et saevas crimine mentes  
 340 atque infanda sui testabitur effera vitae.  
 iam primum quicumque Deum male senserat ante  
 et vaga mentito coluisset numine saxa  
 atque cruentatas signis sacraverat aras  
 et picturatas timuit sine voce figuras  
 345 ac falsi tenuis adoravit numinis umbras,  
 et quemcumque malus seduxit protinus error,  
 si quis adulter erat, natos quicumque necarat.  
 si quocumque malo quis conscia mente vivebat

aut rapto grassatus erat aut fraude clientis,  
 350 si quis humano suas maculabat sanguine palmas  
 atque latebrosa miscebat morte venena,  
 tunc si quis vacuo scelerabat pectora furto  
 aut alieni mali lucro gaudebat iniquo,  
 admisit quicumque nefas quodcumque malorum,  
 355 altus ardor eos igni torquebit amaro,  
 suppliciumque dabunt vivente funere cuncti  
 357 sic hominum tolam maerentes servare turbam.  
 359 haec adeo sancti quotiens cecinere prophetae,  
 360 spiritu saepe Dei moniti dixere futura?  
 sic Deus omnipotens voluit sua praemia nosci  
 atque minas positae per talia legis  
 militando plures caelestia verba clamantes.  
 denique iussu Dei conpegit ossa prophetes  
 365 et stupuit mota subito non sponte sepulcra,  
 366 cineribus creta iacuisse corpora passis,  
 368 surgere tunc vivos anima veniente miratus  
 et cum voce sua ad caelum lendere palmas.  
 370 illi quidem tumulos repetiere silentes  
 servandique Dei diei cessere futuro:  
 paulisper iussit retineri cubilibus imis,  
 donec ille dies completo tempore magnus  
 adveniat. cuncti Dominum cognoscite verum  
 375 qui solus animam faciat conscendere lucem  
 eandemque potest in Tartara trudere poenae  
 et cui cuncta patet vitae mortisque potestas.  
 posse Deo nam velle sat est, factumque dicendo  
 ille meus solus metuendus sensibus imis.  
 380 et quoniam leto cursus concluditur omnis,  
 quicumque est hodie, secum sua vita feretur.  
 et ideo, dum vita manet, dum carpere lucem,  
 dum paeniteri licet, prius quam terminus aevi  
 occupet incautos et nescia lumina solvat  
 385 ultimus ille dies mortis qui lege tenetur,  
 quod primum superest, carae vigilate saluti  
 et faciles certique bonum deflectite cursum.  
 post errata suis et pressa piacula sacris  
 postque vagas nimium quae vos vexere procellas  
 390 rectas adite vias et flumina laeta tenete.  
 hinc laetis prius animis repellite crimen,  
 et concreta diu proluatur pectore culpa;  
 tunc commissa mali mites abolete nefanda  
 aeternisque Deum precibus placate tremendum,  
 395 pessima cuncta bonis cedant, morialia vivis.  
 quod servate novam iamiam sine crimine vitam  
 et servate pias veroque in nomine mentes,  
 ac veniam primis supplices rogate delictis.  
 iamiam pura piis maturescant corda colonis,  
 400 innocuasque manus precibus adtollite iustis  
 laudibus et faciles divinis reddite voces,  
 incipiantque bonis verisque adsuescere mentes  
 divinaeque magis celebrentur munera legis,  
 et memorate bona simulque invadite facta.  
 405 sordida nitescant olim commissa malorum,  
 et meliora piis flagrabunt omnia vobis,  
 horrendisque simul liberatur vita periclis  
 atque aeterna suis veniet ad praemia votis.

---

**These lines seem to have been inserted by the first editor,  
Fabricius:**

**50. pater filius spiritus sanctus qui sunt semper in unum.**

**358. nemo suas (miserum) nemo eheu praebuit aures.**

**367. gratanturque Deo et victori talia Christo.**

*Text edited by J. H. Waszink, Bonn, 1937.*

*Transcribed by Roger Pearse, 2002.*